



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,  
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et  
Ivrisdictione Ecclesiastica**

**Bene, Thomas del**

**Lugduni, 1674**

XLI. Ad quemnam Iudicem spectet cognoscere, vtrum casus sit exceptus,  
necne?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

non permittitur in casibus exceptis reum Curie seculari tradi, nisi recepto prius iuramento de eius impunitate corporali (qua de re vide etiam Doctores, quos refert, & sequitur Decian. lib. 6. cap. 29. num. 6.) Ergo, si Curia secularis tenetur hoc iuramentum præstare, priusquam reus sibi tradatur, signum est, quod non possit inconsulto Episcopo (in cuius manibus iuramentum præstare tenetur) reum ab Ecclesia extrahere: & in cap. definitur 17. quasi. 4. datur facultas iudici seculari reddendi Ecclesie reum extractum sine consensu sacerdotis: ergo è contrario signum est, quod denegetur facultas extrahendi eum sine consensu illius; ubi Archidiaconus, & alij notant, hoc procedere etiam quoad publicum latronem, & sic quoad casus exceptos; & in Authent. si quis, Cod. ad leg. Jul. de adulter. in §. fin. statuitur, quod si maritus inuenerit in Ecclesia hominem sibi de adulterio suspectum cum vxore sua loquentem, debeat ambos defensori Ecclesie, vel aliis clericis (ut feruntur) tradere, donec secularis iudex, qui de hoc cognoscere debet, requirat Episcopum, ut illos ipsi tradat. Quod etiam probatur ex Auth. ut liceat matri, & ana. coll. 8. tit. 18. num. 117. cap. 15. ibi: Donec iudex hoc cognoscens mittat ad Episcopum Civitatis, quatenus ei isti tradantur, ut debeant sustinere tormentum secundum leges, qua interdum adulteros à sanctissimis Ecclesiis vindicari: & ex Authent. de mandat. Princip. §. sed neque, ibi: Auxiliabuntur autem tibi ad hoc etiam Deo amabiles Ecclesiarum defensores, & aconomi. Et ex l. pateant, in fin. Cod. de his, qui ad Eccles. confug. ubi Imperator, licet statuerit, confugientem ad Ecclesiam cum armis, si monitus arma non deposuerit, inde extrahi posse; voluit tamen, id inconsulto Episcopo fieri non licere, & reddit rationem, ne scilicet si multis passim id liceat, confusio generetur. Et licet ibidem Imperator requirat simul cum consensu Episcopi consensum iudicum suorum, id tamen nihil obstat; quia in materia immunitatis, præsertim contra sacros Canones, statuere nihil potest. Sufficit tamen nobis per dictum textum demonstrare, quod etiam de iure Civili Imperatores voluerint, confugientem ad Ecclesiam, inconsulto Episcopo inde extrahi non posse. Et ratio est, quod captura reorum est actus iurisdictionis, qui in Ecclesia, utpote de alieno territorio, à iudice laico exerceri non potest, ex l. extra territorium, ff. de iurisdic. & ex cap. 2. de Constitut. in 6. Ecclesia enim (ut late probant Tuschus loco supra cit. Carolus de Grassis effect. 1. num. 617. Farinacius consil. 214. num. 3. lib. 3. & Ciarlinius controvers. forens. cap. 10. num. 5.) licet sit in territorio Principis secularis, non tamen est de territorio, seu districtu illius, sed de territorio iudicis Ecclesiastici.

Atque ita, quod scilicet iudex secularis in casibus clare exceptis, non possit etiam præcisa Constitutione Gregorij XIV. de iure communi reum sine expressa licentia Episcopi, seu inconsulto Episcopo, ab Ecclesia extrahere, docent præter Salicetum supra citatum Anton. Gomez var. resol. lib. 3. cap. 10. Rubr. quando reus gaudet immunitate Ecclesie, num. 2. ad fin. Anast. Germon. de sacrorum immunit. lib. 1. cap. 16. n. 1. Bossius de captivitate, n. 24. Tusch. verb. Ecclesia, concl. 11. num. 47. & seqq. Farinacius in append. de immunit. cap. ult. num. 370. Caballus in 99. crimin. cap. 194. num. 12. Guazinus rom. 1. defens. 1. cap. 31. num. 3. Rolandus à Valle lib. 1. consil. 24. num. 15. Ioan. VVigers de iust. & iur. tract. 8. cap. 6. dub. 26. num. 172. Diana pari. 6. tract. 1. resol. 28. & alij supra.

Ad oppositum respondetur, quod licet crimina excepta ab Ecclesia non protegantur, non tamen hinc sequatur, reos in illa posse comprehendi, & ex illa extrahi sine licentia Prælati Ecclesiastici, ut patet ex

rationibus iam adductis, ex quibus etiam patet ad confirmationem.

Instabis, facultas, seu licentia peti debet ab illo, à quo negari potest: at iudex Ecclesiasticus in nostro casu talem licentiam (cum ea tribuatur à iure) negare non potest: ergo, &c.

Respondetur, quod licet talem licentiam in dicto casu iudex Ecclesiasticus negare non possit, tamen ab illo peti debeat, ob rationem quam adducit ipse Imperator in cit. leg. pateant, nempe ne generetur confusio & irreuerentia in Ecclesiis à ministris laicis in captura reorum. Et confirmatur à simili, quia Episcopus non potest negare licentiam prædicandi regularibus in suis Ecclesiis, & tamen illam petere debent ab illo, quapropter ex Tridentino Concilio sufficit petita, & non obtenta. Item Prælati Religionis non potest (saltem de iure communi) suis Religiosis negare licentiam transeundi ad Religionem strictiorem; & tamen etiam petere illam debent ab illo; quapropter ex cap. licet, de Regularibus, sufficit similiter petita, & nob obtenta, & sic de aliis, &c. Ergo non est semper verum, quod dicunt aduersarij, petendam scilicet esse solum licentiam ab illo, qui eam negare potest.

Ex dictis sequitur, cauendum esse à capitulo 75. Alphonsi Regis in Sicilia, quatenus ibi vult, quod delinquentes extrahi possint ex Ecclesia per Iudices, & officiales suos seculares in casibus ibidem recensitis.

Dixi secundo, in casibus clare exceptis, quia in dubiis (si scilicet sumus in dubio, an casus sit exceptus) absque dubio non poterit iudex secularis reum sine expressa licentia Episcopi, seu inconsulto Episcopo, ab Ecclesia extrahere; quia dum non constar, quod is immunitate sit exclusus, immunitate gaudet, cum immunitas concedatur cuicumque delinquenti extra casus exceptos, & consequenter dum probatum non fuerit, quod delinquens casum exceptum commiserit, immunitate privari non poterit. Atque ita ex communi sententia Doctorum Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 26. num. 2. & Farinac. in append. de immunit. cap. ult. n. 370.

## DUBITATIO XLI.

Ad quemnam iudicem spectet cognoscere, utrum casus sit exceptus, necne?

### SECTIO I.

#### Dubitationis Resolutio.

#### SUMMARIVM.

- 1 Ad iudicem Ecclesiasticum spectat absque dubio cognoscere utrum casus sit exceptus, necne, non solum attenta Constitutione Gregoriana, verum etiam iure communi.
- 2 Cause Ecclesiasticæ cognitio, qualis est immunitatis, non potest nisi ad Iudicem Ecclesiasticum spectare.
- 3 Causa immunitatis Ecclesiastica pertinet ad honorem, & reuerentiam rei.

Respondetur, quod absque dubio spectet ad iudicem Ecclesiasticum; idque non solum attenta Constitutione Gregorij XIV. (in qua expresse dicitur: Nisi cognitio prius per Episcopum, vel ab eo deputatum, an delinquentes vere crimina excepta commiserint,)

runt, sed etiam attento iure communi. Et probatur, quia causa Ecclesiastica (qualis est causa immunitatis Ecclesiarum) cognitio non potest, nisi ad Iudicem Ecclesiasticum spectare, per textum in cap. Ecclesia sancta Maria, de consuet.

- 3 Confirmatur, quia cum agere de immunitate Ecclesiastica pertineat ad honorem, & reuerentiam Dei, & Ecclesiae, absque dubio cura haec ad Iudicem Ecclesiasticum spectare debet. Confirmatur secundo ex cap. fin. de immunit. Eccles. cap. metuentes, cap. ad Episc. 17. q. 4. cap. ex parte, de verb. significat. ex l. pateant, §. hoc vero, & ex l. praesenti, Cod. de his, qui ad Eccles. confugiunt: ex quibus iuribus etiam civilibus clare colligitur, quod dicebam, & docet Anastas. Germon. de immunit. sacror. lib. 3. cap. 16. num. 21. Gu-tierrez pract. 99. lib. 3. q. 1. num. 5. Azueved. lib. 1. noua compila. tit. 2. leg. 3. n. 20. Farinacius de carcerib. q. 28. num. 76. & in append. de immunit. cap. ult. num. 366. & 367. Rodriguez in 99. Regular. tom. 2. q. 51. art. 3. Peregrinus cap. 3. num. 1. Guazzinus tom. 1. defens. 1. cap. 31. num. 3. Mar. Ital. de immunit. lib. 1. cap. 5. §. 14. num. 7. & cap. 6. §. 1. num. 4. & seqq. Loterius de Benef. tom. 1. lib. 1. q. 13. num. 96. & seqq. Diana part. 4. tract. 1. resol. 46. Correa in relect. de immunit. Eccles. part. 4. num. 2. Barbosa de iur. Eccles. lib. 2. cap. 3. n. 155. & seqq. & Bonacina disp. 3. q. 7. de immunit. punct. 7. num. 2. vers. 3. contra Vulpellum conf. 130. num. 6. & quosdam alios, ut Petrum Bellugam, & Remigium Gonny, quos refert Anastas. Germon. in loco supra cit. Item contra Pereir. de manu Regia, part. 2. cap. 16. num. 12. Suarez de Paz in prax. tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 3. num. 8. Bobadillam in Polit. tom. 1. & lib. 2. cap. 19. num. 40. & Sarpum de iure Asylorum, cap. 6. fol. 62. Vide etiam Martham de iurisdic. part. 2. cap. 1. n. 10. & Fagundez de praeceptis Eccles. part. 2. lib. 4. ap. 4. n. 57.

## SECTIO II.

Difficultates in oppositum, earumque solutiones.

### SUMMARIUM.

- 1 Nemo in causa propria est index competens.
- 2 Immunitatis causa non est propria Episcopis, sed communis cum Ecclesia.
- 3 Inconueniens non est quod causa immunitatis spectet ad Episcopum, & quod ipse in illa dicat ius, sicut & quod in eadem dicat testimonium.
- 4 Rector, Beneficiarius, vel Religiosus potest testificari in causa sua Ecclesiae.
- 5 Index debet esse medius, ac veluti diremptor inter partes contendentes.
- 6 Limitatur primo in Pralato Ecclesiastico.
- 7 Limitatur secundo in Principe supremo, seu magistratu supremo.
- 8 Princeps supremus à subditis cogi non potest, ut alteri se subiiciat.
- 9 Non praesumitur à supremo Principe tanquam legum, & iustitiae fonte, atque Consiliariis optimis munito, posse quidquam iniustum promanare.
- 10 Limitatur tertio regula supradicta ratione iniuria acceptae causa exercendi officium iudicis, dummodo sit notorium de ipsa, quia tunc potest punire etiam sine alio processu.
- 11 Limitatur quarto, si index à parte requisitus, dubitetur, an cognoscendi potestatem habeat, quia tunc id ipsum ante omnia poterit discernere.
- 12 Præteris est estimare an sua sit iurisdic. tio.

- 13 Regula quod nemo in propria causa index esse debet, intelligenda est in sensu, ne directe quis id faciat in propriam utilitatem sententiam ferendo.
- 14 Index Ordinarius suborto dubio an sit index competens, potest id ipsum cognoscere, & dubio pro affirmatiua resolutio, ad causam principalem determinandam procedere.
- 15 Episcopus non solum potest compellere laicos ad observandas consuetudines Ecclesiae laudabiles, sed etiam potest, exoritur dubio, num consuetudo laudabilis sit, idipsam determinare.
- 16 Episcopus potest examinare vires iuramenti à se praestiti de observandis capitulis in sua electione, quorsusque illud extendere se debeat.
- 17 Index si à parte contendente allegetur suspectus, iustitiam huius allegationis cognoscere non potest, si notorie friuola non est, & supersedere debet in principali.
- 18 Dato quod extractio in casibus exceptis spectet ad Iudicem saecularem, non tamen spectat ad eundem cognitio, an casus sit exceptus.
- 19 Refellitur argumentum Sarpi ex eo, quod si verum esset, index Ecclesiasticus neque posset cognoscere delicta mixti fori.
- 20 Non obstat consuetudo in contrarium, si non sit praescripta legitime ante Constitutionem Gregorianam, quod non creditur.
- 21 Pontifices, & Episcopi sciunt, & tolerant aliquid fieri contra immunitatem, non consentiendo, & approbando, sed dissimulando ad maiora mala vitanda, & incommoda.

**O** bilicies. Causa immunitatis est causa propria Episcopi: ergo non spectat ad Episcopum. Consequentia probatur, quia nemo in causa propria est index competens.

Respondetur, nego antecedens; quia potius est causa communis, & Ecclesiae; quapropter inconueniens non est, quod spectet illa ad Episcopum, & quod Episcopus in illa dicat ius, sicut & quod in eadem dicat testimonium; quod testimonium rector etiam, aliue beneficiarius, vel Religiosus dicere potest in causa sua Ecclesiae, sicuti notauit Layman lib. 3. tract. 3. cap. 2. num. 5.

Itaque cum dicitur, quod quis in propria causa index competens non sit, seu index esse non possit, ut etiam sumitur ex l. unic. Cod. ne quis in sua causa iudicet, & patet ex eo, quia index debet esse medius, ac veluti diremptor inter partes contendentes, cap. 1. iuncta gloss. causa 4. quasi. 4.

Excipitur primo, quod scilicet Prælatus index esse possit in causa sua Ecclesiae, sicuti modò supra dicebam, & docet gloss. communiter recepta in cap. si erga, verb. primum, 2. q. 6. & Abb. in cap. ad audientiam, de appellat. num. 8.

Excipitur secundo, si sit in ordine ad subditos suos Princeps, seu Index supremus, qui nisi aliud constitutionibus Regni receptum sit, cum Consiliariis suis cognoscere, & definire litem potest, sicuti colligitur ex l. vn. Cod. si quis Imperatori maledixerit, & l. proxime, ff. de his, qui in testamento delentur. Et ratio est; tum propter plenitudinem potestatis, secundum quam à subdito cogi non potest, ut alteri se subiiciat; tum quia non praesumitur à supremo Principe, tanquam legum, ac iustitiae fonte, atque Consiliariis optimis munito, posse quidquam iniustum promanare.

Excipitur tertio, si notorium sit, quod index ratione publici officij iniuriam ab aliquo passus fuerit; quia tunc potest sine alio iuris processu in continenti illum punire, ad hoc, ut iurisdic. tio sua, & potestas publica

publica defensione permaneat; sicuti docet præter alios Andr. Gaill. lib. 1. observat. 36. exemplum afferens de eo, qui literas iniuriarum plenas ad Senatū scripsit; ob quod facinus iuste à Senatu ipso punitus fuit.

- 11 Excipitur quartò, si iudex à parte requisitus dubitetur, an cognoscendi potestatem habeat; quia tunc id ipsum ante omnia poterit discutere, *l. si quis ex aliena*, ff. de iudic. ubi dicitur, quod Prætoris sit estimare, an sua sit iurisdictio: & l. 2. ff. si quis in ius vocatus, ubi dicitur, quod ex quacunque causa ad Prætorē, vel alios, qui iurisditioni præsumunt, in ius vocatus ven. re debet, ut hoc ipsum sciatur, an iurisditionis eius sit. Quod tamen intellige, si rationabiliter id dubitetur, scilicet, si notorium sit, quod à iurisditione citantis exemptus existat (v. g. clericus à iurisditione laici) quia tunc citatis comparere non tenetur, sicut docet Gloss. communiter recepta in cap. veniens, verb. propter contumaciam, de accusat. Innocent. in cap. præterea, de dilation. Abb. in cap. ex parte, de rescripti. & Martha de iurisdict. part. 2. cap. 4.

- 12 Ex quibus sequitur, dictum illud, quod nemo in propria causa iudex esse debet; intelligendum esse in sensu, ne directè quis id faciat in propriam utilitatem, sententiam ferendo, sicuti rectè notavit gloss. in cit. l. si quis ex aliena, verb. estimare; interim tamen poterit iudex ordinarius suborto dubio, utrum causa aliqua, quæ ad ipsum defertur, suæ iurisditionis sit, necne, id ipsum cognoscere, & dubio in partem affirmativam resolutio, ad causam principalem determinandam procedere, argum. cap. ad Apostolicam,

- 13 de simon. ubi numero 3. ait Abbas, quod Episcopus non solum possit compellere laicos ad observandas consuetudines Ecclesiæ laudabiles, sed etiam possit, exorto dubio, num consuetudo aliqua laudabilis sit, id ipsum determinare; quia tunc non est, nisi indirectè (quatenus scilicet id necessarium sit, ut ordinario suo iudicandi officio satisfaciatur) in causa propria iudicare.

- 14 Quapropter idem dicas de Episcopo, qui in sui electione proposita sibi capitulatione, præter alia Capitulo iurare debuit, quod in tali rerum genere nihil immutare velit, & post confirmationem diocesani ius sibi ab ipso dici petunt, quod scilicet possit etiam Episcopus in tali casu, cum consilio prudentium, cognoscere de viribus iuramenti sui præstiti, & quovisque illud extendere se debeat, ut deinde appareat, utrum in causa principali ad instantiam partis progrediendi ius habeat, quia alioquin Episcopus (si scilicet exorto dubio circa fundamentum suæ iurisditionis, illud determinare non possit) in consistorio suo ad gubernandam diocesim sufficiens sibi non esset.

- 15 Quamvis, si iudex à parte contendente tanquam suspectus recusetur, iustitiam huius recusationis cognoscere non possit, sed in causa superfedere debeat; quia exceptio suspicionis, sicuti (si notoriè friuola non sit) reddit inhabilem iudicem quominus super principali cognoscere possit; ita, & multò magis reddit inhabilem super incidente, cum per talem exceptionem ad indignationem protocetur, sicuti rectè notavit Abb. in cap. requiris, n. 12. de appellat. & Gaill. lib. 1. observat. 34. n. 6.

- 16 Obiicies secundò, extrahere reum in casibus exceptis est causa secularis, non Ecclesiastica (cum per secularem potestatem extractio fiat) ergo eius cognitio spectat ad iudicem secularem; & non ad Ecclesiasticum.

- 17 Respondetur; esto extractio in casibus exceptis spectet ad iudicem secularem, non tamen hinc sequitur, quod cognitio, an casus sit exceptus ab immunitate, spectet ad eundem; ut patet ex dictis, præsertim cum unum sit quid facti, alterum autem quid iuris, &

circa ea quæ sunt extra spheram potestatis secularis.

Instabis, ut iudex Ecclesiasticus id assequatur, & cognoscat, debet certa cognitione cognoscere omnia, quæ acciderunt: item & cognoscere delicti gravitatem, & lenitatem; at hæc discutere est minus alienum ab Ecclesiastico iudice, cui tantum res spirituales committuntur: ergo, &c. Ita Sarpus loco supra cit. & alij.

Respondetur; nego minorem, cum ex dictis causa hæc sit Ecclesiastica, & spiritualis. Adde quod si verum esset, quod dicit Sarpus, sequeretur, quod iudex Ecclesiasticus neque posset cognoscere delicta mixti fori, quod est omnino fallum.

Instabis secundò, adest consuetudo in contrarium; ita ut saltem ratione consuetudinis cognitio de tali re sit mixti fori, & sic spectet ad utrumque iudicem, tam secularem, quam Ecclesiasticum, in ordine ad diversos effectus. Ita Pereira, & Correa in locis supra cit.

Respondetur; nego consequentiam, quia Constitutio Gregorij XIV. renovat omnes consuetudines in contrarium, ut supra dubit. 7. dicebamus. Vide etiam Tuschum verb. immunitas, concl. 59. n. 19. & seqq. Bonacinam disp. 3. quest. 7. punct. 10. num. 2. & Cenedum in 99. Canon. quest. 42. num. 12. Quod si contendat adversarij, quod post dictam Constitutionem Gregorij XIV. iterum legitime consuetudo in contrarium introducta sit, videant ipsi, qui id affirmant, quia si ita est, non audeo (ut supra dubit. 6. & dubit. 24. sect. 5. & 8. dicebam) illam damnare.

Vrgebis: Pontifices, & Episcopi sciunt, & tolerant: 21 ergo, &c.

Respondetur cum Farinacio in append. de immunit. cap. 1. num. 15. Paciano de prokationib. lib. 1. cap. 29. num. 87. & Laudensi part. 1. decis. Pisan. 36. num. 265. distinguendo antecedens: sciunt, & tolerant consentiendo, seu approbando, nego: dissimulando, ad maiora scilicet vitanda mala, & incommoda, concedo. Vide cap. iam dudum, de præbendis, & quæ dicebantur cap. 1. dub. 15. sect. 5. & lib. de parlamentis, dub. 4. sect. 19. subsect. 3. & 4. dubit. 15. & dubit. 27. sect. 9. & seqq.

### SECTIO III.

An cognoscere locum, utrum sit sacer ad gaudendum immunitate, spectet ad iudicem Ecclesiasticum tantum?

### SUMMARIVM.

- 1 Cognoscere locum an sit sacer, vel religiosus, & capax immunitatis Ecclesiæ, spectat ad iudicem Ecclesiasticum privative quoad laicos.
- 2 Cognitio an territorium Ecclesiæ sit violatum, necne, spectat ad iudicem Ecclesiasticum.
- 3 Vicarius Capituli in probabiliori sententia, sede vacante, potest cognoscere, utrum delicti casus sit exceptus.
- 4 Limita modo commissum fuerit in sua diocesi, & non in loco exempto.
- 5 Capitulum, vel is, ad quem Episcopalis iurisdictio tunc temporis pertinere noscitur; potest facere omnia quæ posset Episcopus, si tunc viveret.
- 6 Episcopus electus, & confirmatus, sed nondum consecratus potest cognoscere ea quæ diximus circa immunitatem; quia potest omnia, quæ sunt iurisditionis.
- 7 Episcopus electus, & confirmatus tantum; sed nondum consecratus potest absolvere ab omnibus censuris, & dispensare ab omnibus irregularitatibus, à quibus possunt ceteri Episcopi vigore Concilij.
- 8 Ea, quæ sunt altius iurisditionis tantum, &

non ordinis, & sic in absolvente, & dispensante non indigent consecratione, possunt exerceri etiam per Episcopum electum, & tantum confirmatum.

- 1 **E**X dictis sequitur, quod cognoscere locum, an sit sacer, vel religiosus, ad gaudendum immunitate, necne, spectet etiam ad iudicem Ecclesiasticum tantum, seu priuatiue. Atque ita docent Martha de iurisdic. part. 2. cap. 50. numero 4. Raudensis vol. 2. consil. 17. num. 12. Marius Giurba consil. 10. numero 7. Peregrinus de immunit. cap. 13. numero 18. Bonac. disp. 3. quest. 7. punct. 3. numero 16. & Diana part. 4. tractat. 1. resol. 49. contra Pereiram in loco supra citato. Et patet ex rationibus, & iuribus supra adductis; item etiam patet ex cap. ex parte, de verbor. signific. ubi cum agatur, an territorium Ecclesie sit violatum, necne, dicitur, quod huius rei cognitio spectet ad iudicem Ecclesiasticum. Quinimo Comitissa, cuius interesse ibi tractabatur, appellat ad Archiepiscopum. Vide etiam quae dicuntur infra, dubit. 46.
- 2 An autem sede vacante, possit etiam Vicarius Capituli cognoscere, vtrum delicti casus sit exceptus, necne?
- 3 Negat Marius Italia de immunit. lib. 1. cap. 6. §. 1. num. 42. & mouetur ex Constitutione Gregorij XIV. in illis verbis: *Ad quos solos, & non ad alios Episcopis inferiores, &c.*
- 4 Affirmat autem probabilius Peregrinus de immunit. cap. 3. num. 34. & seqq. (si scilicet delictum commissum fuerit in sua diocesi, non autem in loco exempto, vel nullius diocesis.) Et probatur, quia facultas, de qua loquimur, competit Episcopo iure ordinario, cap. quisquis, & cap. contumax, 17. quest. 4. ergo, &c. Consequentia probatur; quia ex cap. unic. de maiorit. & obedient. in 6. Sede vacante potest Capitulum, vel is, ad quem Episcopalis iurisdicatio tunc temporis pertinere consuevit, facere omnia, quae possit Episcopus, si tunc viueret.
- 5 Ceterum certum esse debet contra Marium Ital. loco supra cit. numero 88. quod id possit Episcopus electus, & confirmatus tantum, etsi nondum consecratus, sicuti ex communi Peregrinus num. 3. Et ratio est, quia talis cognitio est actus iurisdictionis, & Episcopus electus, ac confirmatus tantum, etsi nondum consecratus, potest omnia, quae sunt iurisdictionis, per textum in cap. transmissa, de elect. Quapropter recte dixit Suarez tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 7 quod Episcopus electus, & confirmatus tantum, quamvis nondum consecratus, possit absolueri ab omnibus censuris, & dispensare ab omnibus irregularitatibus, a quibus possunt ceteri Episcopi vigore
- 8 Concilij Trident. sess. 24. cap. 6. de reformat. quia haec omnia sunt actus iurisdictionis tantum, & non ordinis, & sic in absolvente, & dispensante non indigent consecratione.

## DVBITATIO XLII.

Qualiter nam Episcopus cognoscere debeat delictum esse exceptum, vt possit reum tradere, remittere, seu consignare Curiae saeculari?

### SECTIO I.

#### Dubitationis Resolutio.

#### SUMMARIVM.

- 1 *Ad probandum id quod in iudicio incidenter & se-*

cundario, & per modum causae deducitur, quavis probatio, etiam levis, & praesumptiua dicitur sufficiens.

- 2 *Is, cuius iudicio res committitur, non tenetur informationem iuridicam facere, sed potest prout sibi placuerit, informationem sumere & quomodocumque de veritate sibi constet, iudicium ferre.*
- 3 *Episcopus tamen in casu nostro debet cognoscere concludenti probatione delictum esse exceptum, vel non exceptum.*
- 4 *Ecclesia ius habet defendendi reum in casibus non exceptis, & reus ius habet ne in talibus casibus a loco sacro extrahatur, & ob id Prelatus non cognoscendo exacte, iniuriam Ecclesiae, & reo faceret.*
- 5 *Coniectura non sufficit vt vincant praesumptionem ortam ex possessione immunitatis, & inue fundato.*
- 6 *Ad tollendum ius ab aliquo acquisitum non sufficit coniectura, sed requiritur plena probatio.*
- 7 *Ex constitutione Gregoriana requiritur, quod Prelatus priusquam reum puniendum iudici saeculari iradat, cognoscat vere, quod is exceptum delictum commiserit.*
- 8 *Quod per coniecturas tales cognoscitur, non vere, sed probabiliter tantum cognoscitur, neque illud est proprie, & absolute verum, sed sub dubio verum.*
- 9 *Vera sunt ea, quae oculis inspicimus, & indubitanter notamus, non autem quae praesumptiue credere possumus.*
- 10 *Lex, quotiescumque probationem requirit, de probatione concludenti, & perfecta intelligi debet.*
- 11 *Probatio coniecturalis, quando sufficit, cauetur ab ipsa leg. latore.*
- 12 *Commisum delictum esse exceptum, est conditio necessaria requisita ad hoc vt delinquens immunitate priuetur.*
- 13 *Probatio conditionis, seu forma ad actum requisita, debet esse plena, & concludens.*
- 14 *Sententia contumacialis (cum hac non probet delictum) sed requiratur plenior probatio, non sufficit ad extrahendum reum e loco immuni.*

**R**espondetur, quod (quamvis videatur sufficere, quod cognoscat ex praesumptionibus, & coniecturis rem probabilem efficientibus, quia ad probandum id, quod in iudicio incidenter, & secundario, & per modum causae deducitur, quavis probatio, etiam levis & praesumptiua dicitur sufficiens, & quia in Constitutione Gregorij XIV. conceditur Episcopo remissio rei, qui sibi videbitur delictum exceptum commisisse; cum autem alicuius iudicio res committitur, non tenetur is informationem iuridicam facere, sed potest, prout sibi placuerit, informationem sumere, & quomodocumque de veritate sibi constet, iudicium ferre, sicuti tradidit Menochius de arbitr. quest. 13. numero 2. & quest. 19. numero 10. ergo, &c.) tamen dicendum sit, requiri quod cognoscat ex concludenti probatione, seu ita quod probationes sint certae, quamvis summariae, & quamprimum fieri potest expedienda; sicut ex declaratione sacrae Congregationis refert Naldus verb. Ecclesia, num. 32. Atque ita contra Senatum Lusitanum apud Gammam decis. 171. & 182. Gratianum tom. 3. cap. 596. num. 23. Peregrinum de immunit. cap. 3. num. 3. & seqq. & Giurbam consil. 50. num. 10. & consil. 100. docent praeter Naldum supra, Farinacius lib. 1. consil. conf. 76. num. 3. & conf. 168. num. 8. & in append. de immunit. cap. ult. num. 8. & seqq. Ambrosin. de immunit. cap. 11. num. 4. Mar. Ital. de immunit. Eccles. cap. 6. §. 1. num. 80. & seqq. Bonac. disp. 3. q. 7. de immunit.